

B M V.

BCU Cluj / Central University Library


682

JOHANNIS
4439 BUCHLERI

ELEGAN-
TIARVM
REGULÆ.

Lectissimis Scriptorum, ma-
ximè CICERONIS exemplis illustratæ.
Omnibus eloquentiæ Candidatis appri-
mè observatu necessariæ :

Antchac



Fusè & indigestim ab Auto-
re traditæ : nunc verò contractæ, & or-
dine Alphabeticò digestæ.

Per

FRANCISCUM RHETHERUM
Coronâ-Tranf. SS. Th. Stud.

Impressum CORONÆ, impensis Autoris.
c1o 10c LXXI.

Generosæ Indolis, optimæq; Spei Adolescentibus,
MARTINO CLOSIO,

&
MARCO DEIDRICIO,
Coronensibus, Scholæq; patriæ

Alumnis, Amicis, Affini & Discipulis le-
tissimis, charissimis.

S. P. D. F. R.

Discipuli lecti, cum jam diffusa per omnes
Terrarum partes lingua Latina meet:

Artes cum quævis lingua tradantur eadem,

Cum vè carens ista sit maneatq; rudis:

Utilis est cunctis: opus hæc tyronibus illis,

Ingenuas artes quos didicisse iuvat.

Hinc benè fecistis, tantæ quod mascula lingvæ

Corcula sacra vestra, favente DEO.

Et quia, privato duce me, adspiratis ad ipsam,

Omnis in hoc, nè spes vana sit ista, fui.

Ergò Grammaticæ vobis Præcepta per annum

Explicui, vester captus ut illa tulit.

His adjuncta fuit Lingvarum Janua, cujus

In vestro spatium sanguine succus habet.

In multis nam Exercitiis Examinibusque

Syntaxes, flexus, themata, plura dedi.

Hoc & adhuc saxum cum volvam, perpere curâ


Id volo, ut in Latio mansio vestra fiet.

Hinc & præsentem digessi hoc sine libellum,

Ut vobis proffit, commodiore modo.

Accipite ergò ipsum, Sermonis certa Latini

Norma est, arte docens quemq; suave loqui!



A.

Ablativi duo ornatè ponuntur pro
verbis Indicativi & Subjunctivi
modi, quæ ante se habent particulas,
Cum, Dum, Donec, Postquam, & similes, ut:
Appropinquante mortè animus multò est divinius.
Oppressâ libertate patriæ, nihil est, quod speremus
amplius.

2. Ac, vel Atque venustè postponitur
particulis istis: Contrà, Perindè, Æquè, Ali-
us, Aliter, Alienum, Aliorsum, Juxta, Ultra, Secus,
Similiter, Pro Eo, & Pariter, ut: Amicum æquè
ac te ipsum diliges. Facis aliter, ac mihi pollicitus
es. Trucidant inermes juxta ac armatos. Contra est
atque dicitis.

3. Adjectiva, quæ sine Substantivis
facilè intelligi possunt, usurpari solènt
ut Substantiva, & quidem sine iis,
modò in genere & numero suorum
Substantivorum ponantur. Talia
sunt: Aprina, Ferina, Ovilla, Suilla; Item:
Oriens, Occidens, Mortalis, Vocalis, Consonans,
Prægnans, Præsens, Instans, &c. *ut*: Inter dome-
sticas

Elegantiarum Regulæ.

7. ricas quadrupedes levissima suilla est, gravissima bu-
pula. Ferinâ excipiendi sunt amici.

4. Adjectiva Substantivis eruditè præponuntur. Excipe (1.) Adjectiva numerum aut multitudinem significantia, v. g. Alienum, Aliud, Alterum, Cætera, Quodlibet, Quodvis, Reliqua, Solum, Totum, Ullum, Unum, Utrumquè, &c. (2.) Dissyllaba cum Substantivis pollysyllabicis cohærentia, ut: animo æquo. (3.) Ea, quæ sunt Comparativi & Superlativi gradûs. (4.) Voces Omnis & Nullus.

5. Adjectiva per dictionem unam, aut sententiam totam venustè à suis Substantivis discernuntur, ut: Desine bonos petulantissimâ confectari lingvâ. Referrî decet ad ea, quæ proposui in principio, fundamenta.

6. Adjectiva diversa, Nominale scilicet & Pronominale, quando uni Substantivo attribuuntur, tum Nominale Pronominali, & hoc Substantivo præponatur, ut: Subciviva quædam tempora. Ad-

Elegantiarum Regulæ.

7. Adjectivis duobus, conjunctione vinc̄tis, venustè Substantivum aut Adjectivum Pronominale, utriq̄ue conveniens, interponitur, ut: Magnum opus omninò atq; arduum conamur. Rustica vox & agrestis quosdam delectat. Libero tuo & admirabili ingenio delector.

8. Adjectiva Masculina & Fœminina in genus Neutrum sic commutata, ut Substantivum subjiciatur in genitivo, elegantem constituunt Orationem; maximè si inter genitivum eum regentemq; vocem aliquid interponatur, ut: Plus enim te operæ græcis dedisse rebus video, quàm putaremus. Nihil ad me literarum adhuc dedisti. Quid tu tandem hominis es?

9. Adjectiva hæc: Dignus, Idoneus, Paratus, Promptus, Par, Justus, Egregius, Bonus, Honestus, &c. in soluta Oratione cum verbo finito, cui præpositum sit Qui, Quæ, Quod, aut particula Ut; collocantur sæpius, ut: Dignus es, qui ameris. Idoneus es, ut geras magistratum. A; Ad-

10. **Adjectivum Superius pro Præcedente & Præterito; Posterius Verò & proximum pro Sequenti; aut Secundo, aut Futuro frequentius fufurpatur, ut:** Posteriores literas nondum acceperas, cum Superioribus responderem.

11. **Adverbia hæc: Cur, Quare, Quamobrem, elegantius ponuntur in Oratione, quàm hæ voces: Propter, vel, Ob quem, quam, quod, ut:** Miror quid causæ fuerit, quare consilium mutâris. Multa mihi veniebant in mentem, quamobrem unum laborem tibi etiam honorem fore putavi. Sed erant causæ, cur hoc tempore illuc esse nollem.

12. **Aliquid antè Cur, vel Ubi, omitti solet venustius, ut:** Non est, cur languescat industria. Habes, ubi patientiam ostentes.

13. **Alienum ibi eleganter ponitur, ubi domestico sermone genitivus Aliorum poni solet. Sic melius sonat: Aliena bona diripis, quàm, aliorum.**

14. **Aliquot elegantius est, quàm quod vulgò dicitur, Nescio quot. ut: Accepi à te aliquot**

aliquot epistolas uno tempore. Domus aliquot incendio crematæ sunt.

15. **Aliud in Oratione geminatur elegantissime, ut:** Sunt alii ad alios morbos procliviores. Habes Sardos venales, alium alio nequiores.

16. **Nota: Partim aliquandò pro geminato Alius ponitur, ut:** Eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt.

17. **Aliud & Aliter bis elegantius ponitur, quàm Aliud quàm, & aliter quàm. ut: Aliud vis, aliud postulas. Aliter dicis, aliter sentis.**

18. **alterum eleganter geminatur, si duo tantùm sunt, quæ numeramus, ut: Duo sunt genera facetiarum, alterum æquabiliter in omni sermone fufum, alterum per acutum & breve.**

19. **Alius invenustè cum Aliquis jungitur. Sic rectius dico: Alii divitias, alii honores venantur; quàm: Aliqui divitias, alii honores venantur.**

C.

20. **Casus diversi, unius vocabuli, Item Primitiva & Derivativa, ut &**

contra-

Contrariæ significationis vocabula, **P**si in una sententia poni debent, im-
mediatè jungantur, ut: Amore amor ut
clavus clavo truditur, Reddenda est terræ terra.
Vale, & me ut amas ama. Amavi amorem tuum.
Videas rebus in justis justos maximè dolere, imbecilli-
bus fortes, flagitiosis modestos.

21. **Comparativus loco Adverbii Mul-**
tùm aut Valdè, **Positivo adjuncti, venu-**
stè ponitur, ut: Senectus est naturâ loquacior.
Amicorum literæ sunt jucundiores.

22. **Comparativi & Superlativi non**
minùs initium, quàm finem periodi
ornant, ut: Facilius ad visâ, quàm ad audita,
mentis oculi feruntur. Nihil est agriculturâ melius.
Id habendum est antiquissimû & opimum, quod Deo
est proximum.

23. **Composita vocabula ab optimis**
sæpè autoribus dividuntur, ut: Rem
verò publicam pænisus amissimus. Rex Seleucus me
oravit opere maximo. Eiusce tamen modi homi-
nes tolerari possunt. Lucri hodie nihil feci.

Nota: Pari prorsus ratione divi-
dun-

duntur voces: Nullus, Nunquam, Antequam,
Postquam, Priusquam, ut: Volo, prius habeat Ora-
tor rem, de qua dicat, quàm de verbis cogitet. Nu-
ma Pompilius annis permultis antè fuit, quàm ipse
Pythagoras.

D.

24. **Dativi gemini, quorum alter**
personam, alter commodum vel in-
commodum significat, si hisce ver-
bis: Sum, Do, Reputo, & similibus addan-
tur, Orationem venustius ornant,
quàm si vox commodum aut incom-
modum significans in Accusativo
cum Præpositione In vel Ad ipsis jun-
gatur. Sic venustius dicitur: Cedit
tibi honori; quàm, in honorem. Item: Est
tibi exitio, quàm, in exitium.

25. Deniq; tunc usitatè adhibetur, cum
multa, quæ restant, summatim dicen-
da sunt, ut: Me quidem certè tuarum actionû,
sententiarum, voluntatum, rerum deniq; omnium
socium comitemq; habebis. Tempa Deorum immor-
talium

talium, recta, urbis, vitam omnium civium, Italiam denique totam ad exitium & vastitatem vocas.

26. Diutinum pro Longo, cum tempus significat, non invenuste ponitur, ut: Diutina servitus me angit. Diutinum laborem perpeffus sum.

27. Dum pro Quam diu eleganter usurpatur, ut: Tui, dum vivam, memor ero. Hæc civitas, dum erit, lætabitur.

E.

28. Et particula singulari gratiâ præponitur interrogativo Quis, quæ, quod, ut: Ecquis est, qui me conventum cupit? Ecquod tua te virtus provexisset?

29. Et conjunctio geminata pulcherrimum habet usum in rebus potissimum diversis, ut: Diligentia honores & gignit & continet. Studio literæ & parantur & conservantur. Fili, & morem geres, & salutem tuam conseruas.

30. Etiam atq; etiam, vide Iterum atq; Iterum.

31. Etiam vel, à Cicerone Superlativo quoque apponitur, ut: Avaritiæ pellatur etiam vel minima suspicio. Vide vel.

Exclamationes, vide Interrogationes.

F.

32. Fore Infinitivus cum verbo Subjunctivi modi, cui præfixa est particula Ut, elegantius ponitur post hæc verba: Spero, Credo, Puto, Affirmo, & his similia; quàm Participium futuri temporis cum verbo Esse. Sic elegantius dicitur: Spero fore, ut certum me tibi aliquando probem amicum; quàm, Spero, me aliquando probatum esse, certum me tibi amicum. Putabas fore, ut te viserem. Spero fore, ut contingat id nobis.

Nota: Hac circutione subvenitur cujusvis generis verbis, quæ Supinis carent.

G.

33. Genitivus dictioni regenti præpositus ab eadem, voce aliqua interpositâ, eleganter separatur, ut: Morsum in nos perfidiam notabis.

34. **Genitivus** Quorum aut Cujus, cum à Substantivo regitur, cui præposita fit Præpositio, tum genitivus Præpositioni simul & Substantivo non invenustè præponitur, ut: Cujus cum patre, magna mihi fuit amicitia. Quorum è numero, Cujus è ludo.

35. **Genitivi** Terrarum, Gentium, Locorū, &c, **Adverbiis** Loci ornatè adjunguntur, ut: Longè gentium abes. Ubi terrarum esses, ne suspicabar quidem.

36. **Gerundia**, quæ Accusativo casu gaudent, ferè elegantius in participalia adjectiva commutantur, ita ut Gerundii casus maneat, servato tamen genere & numero Accusativi, ut: Princeps vestræ libertatis defendendæ semper fui. Omne desiderium literis mittendis accipiendisque leniam.

H.

37. **Hic & Ille** ad præcedentia duo relata sic distingvantur, ut **Hic** ad propius

pius, Ille ad remotius referatur, ut: Petrus & Paulus scripserunt Epistolas: Ille quidem duas tantum, hic verò plures.

Nota: Pro altero horum Relativorum antecedens tunc repeti potest, cum Oratio aliquanto longior est, ut: Inter hominem & belluam hoc maxime interest, quod hæc tantum quantum sensu movetur, ad id solum, quod adest, quodq; præsens est, se accommodat, paulum admodum sentiens præteritum aut futurum; Homo autem, qui rationis est particeps, facile totius cursum videt.

38. **Jam jamquè & Jam nunc non raro** adhibetur pro hoc momento, ut: Cogitandum est, jam jamquè esse moriendum. Ita vive, quasi jam nunc venturus sit vitæ terminus.

39. Id quod **usitatè** adhibetur pro **Quæres, ut:** Immeriti cumulantur honoribus, viri boni repulsam patiuntur, id quod in causa est, cur non magno studio virtus ipsa colatur.

Ille & Hic, vide Hic & Ille.

40. In dies magis magisque **venustius** dicitur

B;

citur

40. **Citur, quam** de die in diem, **ut**: In dies magis magisq; hoc dogma arridet. Stabo, & indies magis magisq; enitar, ut nascens de me duplicetur opinio.

41. **Infinitivus cum Accusativo venustius ponitur, quam Indicativus vel Subjunctivus cum particulis Quod vel Ut. Sic hæc Oratio**: Lætor, quod hic nimbus citò transierit; **venustius effertur hoc modo**: Hunc nimbum citò transisse lætor.

42. **Infinitivi passivi futurum, v. g. amatum iri, doctum iri, &c. pro participio passivo futuri temporis in Dus & verbo Esse, venustè ponitur, omnibusque generibus & utriq; numero attribuitur. Sic v. g. hic Sermo**: Existimabam, Me nunquam à te ludibrio lædendum, nec Merellum fratrem oppugnandum esse; **ornatius effertur à Cicerone h. m.** Existimâram, nequè me absentem ludibrio læsum iri, nec Merellum fratrem per te oppugnatum iri.

43. **Inquit, verbum; item Dicit & Ait, non præponenda sunt citatæ auctoris alicujus sententiæ, sed post primum, secundum aut tertium verbum locanda, ut**: Gallus in sterquilinio gemmam offendens: Quid, inquit, rem sic nitidam reperio? Optime Cicero: Maximam vim, inquit, natura habet. Verissime Alexander Magnus: Parva sæpè scintilla, inquit, neglecta magnum excitavit incendium. Diogenes interroganti quora horâ prandendum esset: Si dives, ait, est, quum vult, si pauper, dum potest?

44. **Interrogandi vox post se habens particulam Tandem, venustius interrogat, ut**: Quid mihi tandem putes fore jucundum, quam &c. Cur tandem ad me non scripsisti? Quousquè tandem abutère, Catilina, patientiâ nostrâ,

45. **Interrogatio multò efficietur gravior, si horum Vocativorum, v. g. Deus immortalis, Magne Deus, Bone Deus, Dii boni, Dii Deæque omnes, &c. unus per admirationem apponatur, ut**: Quantam, bone Deus, voluptatem ex amicitia nostra capio? Quantam, ô Dii boni, quid est in hominis vita diu?

46. Interrogativa clausula post primum secundumvé vocabulum habens Interjectionem Malum, multum energix tribuit rei detestandæ, ut: Quænam, malum, est ista necessaria servitus? Quid, malum, amici personâ contegis inimicitias?

47. Interrogationi veniunt postponitur Ullum, Quidquam, Unquam, quàm, Aliquid aut Aliquando, ut: Quis ullam rerum earum suscipiat curam? An tibi est ullius honestæ rei studium? Quis unquam tanti quenquam fecit?

48. Ipse, ipsa, ipsum, cum alio Pronomine in casibus diversis eleganter ponitur, ut: Mihi ipse placeo. Te ipse laudas.

49. Is, ea, id, Pronomen conjunctioni copulativæ immediate appositum eleganter declarat præcedentia, ut: Unas tantum à te accepi literas, & eas perbreves.

50. Iterum atq; iterum, item Etiam atq; etiam venuste ponitur pro Summoperè, maximè, vehementer, ut: Iterum iterumq; à te peto. Etiam atq; etiam vide. Salve etiam atque etiam literarum decus.

M.

51. Magis & Quàm, nullâ voce median- te, conjunguntur elegantius, ut: Amicitia me delectat magis, quàm pecunia.
Magis magisque vide Indies.

N.

52. Nec quidquam elegantius dicitur, quàm Et nihil, ut: Nec medici, nec Imperatores, nec Oratores quidquam magnâ laude dignum sine usu consequi possunt.

53. Negativæ locutiones Poëtis & Oratoribus non infrequentes sunt, ut: Nunquam non unâ esse videmur. Non inaudita est mihi hæc vox. Non ignoro ea, quæ non optima sunt, aliquâ ratione corrigi posse.

54. Negationi elegantius postponitur Quisquam, Quispiam, Ullus, Usquam, Unquam, quàm, Aliquis, Alicubi, Aliquando, ut: Non est labor ullus, qui causâ tuâ mihi ingratus sit. Nemo vir bonus cuiquam invidet. Non est mihi te quisquam iucundior. Nemo unquam absque virtute beatus fuit.

55. Nemo, Nullus, Omnis elegantissime in

fine periodi collocantur; nec illepidè tamen & in principio, maxime si sum verbum subsequatur, ut: Somnus aufert sensus, actionemq; tollit omnem. Nulla gens tam fera est, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio.

56. Nemo, pro Non, sæpius eleganter usurpatur, ut: Nemo est mihi te amicus antiquior. Adhuc neminem cognovi Poëtam, qui sibi non optimus videretur. Nemo pictor est inventus, qui Veneris eam partem, quam Apelles inchoatam reliquerat, absolveret.

57. Nihil est quod, & non est quod, venustius dixeris, quàm Non est opus; aut Non oportet, ut: Non est, quod mihi gratias agas. Nihil est, quod vereare. Nihil est, quod Epistolæ tuæ multa respondeam.

58. Nomen dignitatis aut officii ab eruditioribus plerumq; nomini proprio præponitur, ut: Imperator Rudolphus. Rex Philippus. Augur Tyresias.

Nota: Pari ratione nomini proprio præponi solent ea, quæ ad ejus vel

vel vituperium, vel declaratione & c. spectant, ut: Vir magnus ingenio, summâq; prudentiâ Lucius Cotta. Adolescens indole summâ præditus, Theophilus Melas. Nos hic cum homine gladiatore omnium nequissimo, Collegâ nostro, bellum gerimus.

59. Nominibus propriis Cognomina venustè præponuntur, ut: Phalereus Demetrius meo judicio præstitit cæteris. De Polliione Asinio dictum est, esse eum omnium horarum. Augustus epistolam ad Pompejum Marcum misit.

60. Nomina propria in plurali numero aptè usurpabis, si aut plures eodem nomine appellati sint, aut si quos eorum, de quibus, vel ad quos loqueris, imitatores aut similes dicere voles, ut: Te cum video, omnes mihi Gracchos, Lucilios, verè ut dicam, Crassos quoquè & Lælios videre videor.

61. Nomini & Pronomini, vel Nomini Proprio & Cognomini non eleganter aliquid interponitur, ut: Wilhelmus autem Crato. Phalereus ille Demetrius.

C; Tybe-

Tiberius enim Gracchus. Cornelius ergo Nepos. Valerium, inquam, Probum, audivi hæc dicere.

62. **Nomen Gentis pro Loci nomine,** quando id vulgò poni consuevit, elegantius ponitur: & contra, quando Gentis nomen vulgò poni consuevit, elegantius Loci nomen dicitur, ut: Ad Italos profectus est. Sicilia tota hoc dicit. Omitto Græciam, & potissimum Athenas.

63. **Nomina & Librorum & Disciplinarum** optimè in Singulari, in plurali tamen numero melius usurpantur, ut: Musicorum perstudiosum accepimus. Ne Physicorum quidem esse ignarum volo. Musicis eruditus est.

64. **Numeri nominum minores,** intercedente aliqua Conjunctione, plerumq; majoribus usq; ad Centum præponuntur, post Centum rarissimè, ut: Cicero tertio & sexagesimo ætatis anno obruncatus est. Leontinus Gorgias centum & septem implevit annos. Is locus est circa Leucadem stadia centum viginti.

65. **Numerus,** quo per partes aut ordi-

ordinem quid numeramus, pro Primò Primùm, Deindè pro Secundo, pro Tertiò Ad hæc, Tum, Tertium, Postea, Præterea, Postremò Deniq; &c. non ineleganter usurpat, ut: Deus primùm nobis diligendus est, deinde Patria, postea Parentes, postremò amici. An ego tibi obviam non prodirem? Primùm Appio Claudio? deindè Imperatori? deindè more majorum? deindè, quod caput est, amico?

O.

Omnis vide Nemo, Nullus.

66. **Ordo pro Statu eleganter usurpatur.** Sic melius dico: Hic est honesti ordinis homo, quàm, est de statu honesto.

P.

67. **Participia Futuri temporis,** præsertim passiva, addito verbo Substantivo, eleganter pro Debere vel Oportere usurpantur, ut: Natura cognoscenda est. Rempub. curaturus es. Sum expectaturus fratrem. Amicis obsequendum est.

68. **Participiis futuri temporis,** loco verborum, Volo, Cupio, Desidero, Debeo;

cum particulis si, vel Cùm, ornatissime
utimur, abjectis si vel Cùm particulis,
ut: Oraturus cubiculum intrato; melius dicitur,
quàm: Si vel Cùm vis orare, intrato cubiculum.
Scripturo mihi literas nuntiatum est. Auditorus Con-
cionem Templum subito.

Partim vide Aliud.

69. Plus plusquè non rarò pro vehementius
ponitur, ut: Pompejum plus plusquè; indies di-
ligo.

70. Præpositiones dissyllabæ in
Carminè sæpè casibus suis postpo-
nuntur, ut: Italiam contra. Te sine nil altū
mens inchoat. Quem penes arbitrium est, & jus
& norma loquendi.

71. Præpositiones variæ, præcipuè
verò Cum, postponitur Pronomini Qui,
quæ, quod: Tenuis & versus semper: Ulique.
sæpissime, ut: Erat nemo, qui cum essem liben-
tius, quàm tecum. Hactenus nihil profecisti. Ore-
tenuis tecum loqui placet. Gladius vaginæ capulo
tenuis inditur. Cor vitalem spiritum per arterias
quo-

quoque versus communicat. Quousquè abutere pa-
tientiâ nostrâ?

72. Præpositiones cum verbis com-
positæ sæpè repetuntur, ac cum casi-
bus conjunguntur, ut: Accedo ad urbem.
In lætus incidi. De spe decidi. Abstinet se ab in-
juria. Mihi & scriptum & nuntiatum est, te in fe-
brim subito incidisse.

73. Pronomina derivata, Meus, Tuus,
&c. eruditè sola, aut addito saltem no-
mine proprio, usurpantur, ut: Ita ad
tuos scribas, ut me tuum esse sciant. Ignatius meus
ad suos abiit.

74. Pronomina duo, tria, pluravè,
juxta se sine ullo medio posita oratio-
nem reddunt venustiore, ut: Tu tibi
ipse vivis. Mihi tu, tui, tua omnia maximè curæ
sunt.

75. Pronomen ille cum conjunctio-
ne Quidem eleganter jungitur, quoties
aliquid concedimus, à quo mox ali-
ud removebimus, ut: Ab illis quidem vi-
ris, sed non satis eruditis. Minimè mali illi quidem,
sed non satis acuti.

76. Pronomina *Id, Quod, Hoc, Voci* Genus præposita, eleganter ponuntur pro Eiusmodi, Huiusmodi, Cuiusmodi. *ut*: Balnea, vina, Venus, & id genus alia corpus debilitant.

Nota: Cicero tamen & in Genitivo dicere solet: Eius generis, Huius generis, Cuius generis.

Pronomen *Qui, quæ, quod. vide* Relativũ.

Pronomen *Is, ea, id. vide* Sub litera I.

Prout. vide quantum.

77. Quà geminatum pro Partim non raro ponitur, ut: Multa in eo quà a Scriptura, quà ab interpunctis feci meliora. Orator Epilogo perorat, quà præmeditatè, quà ex tempore.

78. Qualis qualis sæpius adhibetur pro Qualiscunquè, *ut*: Qualis qualis sit discipulus, venerari debet Præceptorem.

Quamdiu, vide Dùm.

79. Quàm ut post Comparativum in Oratione eleganter ponitur, ut: Amor in te meus major est, quàm ut dicere possim.

Nota:

Nota: (1.) Loco particulæ *Ut*, etiam *Qui, quæ, quod*, eleganter poni potest, ut: Majora sunt matris tuæ erga me studia, quàm quæ erant à muliere postulanda. (2.) Particula *Quàm* hâc ratione orationi adhibita v. duobus Comparativis interponitur, ut: Quos amamus, eos amicius quàm verius laudamus. v. inter duas voces collocata Comparativo antecedit, ut: Id re, quàm verbis, faciam libentius. v. sic collocata Comparativum sequitur, ut: Melius est, Dominum, etiam improbum, tolerare, quàm conseruo servire.

80. Quanti quanti venustè dicitur pro Quàm charè etiam, *ut*: Sed quanti quanti sit, benè emittur, quod necesse est.

81. Quantum multò usitatius est, quàm prout, *ut*: Ad nos brevi, quantum intelligo, venturus es. Abdimus nos, quantum licet. Laudem, quantum possum, vindicabo.

82. Quantum quisq; benè dicimus: malè Quansum omnis, *ut*: Quantum quisquè virtutis sibi acquisivit, tantum quoquè honoris ipsi tribuitur: Vide Quisque.

D

83. Quan-

83. **Quantus** quantus **venustius** usurpatur, **quàm** Intra & Extra, ut: Novi eum quantus, quantus est. Quantus quantus est, totus labor est, totus industria est.

84. **Quæ** **Conjunctio** elegantius ponitur **quàm** Et in quibusdam locis: Et quidem (1.) post voces: **Omne, Totum, Aliud**, ut: Totusq; tremo. Omnisquæ copia. Aliud hoc genus. (2.) Post particulas **indeclinabiles**, ut: Rursusq;, Ideoq;, Vulgoq;. (3.) Post vocem **monosyllabam**, ut: **Esiq;** ea jucundissima amicitia. Hos nosquæ amas. De te dequæ tuis solliciti sumus. Valebis mequæ amabis.

Qui, quæ, quod. Vide Relativum.

85. **Qui** pro **Quo** vel **Quomodo** non **invenustè** ponitur, ut: **Qui** vales? **Qui** scis, partem tuam venisse?

86. **Quia** vel **Quoniam** minùs eruditè collocantur antè **Relativum** **Qui**, **quæ**, **quod**; **quàm** **Quippe**, **Utpote**, **Ut**, **ut**: Non est huic habenda fides, utpote qui pejerarit. Ea nos, utpote

pote qui nihil contemnere solemus, non pertimescimus.

87. **Quid** particulam **Quod** sine medio præcedens **venustè** interrogat, ut: **Quid?** quèd sapientissimus quisq; æquissimo animo moritur. **Quid?** quèd eodem tempore desidero filiam.

Nota: Utimur his, cum rem majoris, quàm antecedens fuit, ponderis dicturi sumus.

88. **Quin** ponitur, quando præcessit: Non est dubium, non dubito, parum abest, nihil abest, intermittere non possum, **ut**: Parum abest, quin ad crucem actus esset. Intermittere non possum **quin** literis te adhorter.

89. **Quisq;** (non **Omnis**) adjungi solet **Pronomini** **Sui**, **Sibi**, **Se**: & **Suus**, **Sua**, **Suum**; itemquæ **Qui**, **quæ**, **quod**, **nisi** **Omnis** sit **hujus** antecedens, & **illius** tanquam **adjectivum**; ut v. g. **hic**: **Omnes**, qui amant, difficiles sunt. **Omne** iuum decoxit patrimonium. **Ergo** juxta **Regulam** **benè** dico: **Partem** aliquam sibi quisq; vendicat. **Suum** cuiquæ pulchrum. **Quod** quisq; facit, id laudandum putat.

90. Quò pro Ut cum & sine compara-
tivo aptè usurpatur, ut: *Cibo & somno
parcè utendum, quò sit ingenii acrimonia major.
Studiosus omnia faciat quo propositum assequatur.*

91. Quo pro Quanto, & Hoc vel Eò pro
Tanto venustè ponitur, ut: *Quò difficilius,
hoc præclarius. Quo minùs honoris erat Poëtis, eò
minora studia fuerunt.*

92. Quòd conjunctio adhæret Indi-
cativo, si præsentem actionem significat;
Si verò præteritam, subjunctivo, ut: *I-
deò nulli places, quòd tibi nimium places. Ob id te
sæpius reprehendo, quòd impensus diligo. Quòd
redieris incolumis gaudeo. Gratissimū mihi est, quòd
quieveris.*

93. Quoquo sequente Tamen vel Certè ve-
nustè adhibetur pro Quocunque, ut: *Quo-
quo consilio fecit, fecit certè suo. Hic ager quoquo
pretio cõemptus sit, tamen ingenti pecuniâ vobis in-
ducetur.*

R.

94. Relativum qui, quæ, quod, cum ca-
sibus, qui indè proficiuntur, variè
collocari solet in Oratione. Nam

(1.) Si

(1.) Si pro antecedente habet Aliquis,
ornatius solum ponitur, ut: *Est, qui te
alloqui cupit.* (2.) Si pro antecedentibus
habet Pronomina: *Hic, Is, Idem, Ille,*
cum casibus indè derivatis, is v. præ-
ponitur, ut: *Tunc res malè se habet, cum quod
virtute effici debet, id tentatur pecuniâ.* v. post-
ponitur, ut: *Nulla est amicitia ea, quæ sibi lu-
crum præponit.* v. sine iisdem solum in o-
ratione collocatur, ut: *Qui habet, ultrò
appetit; qui est pauper, aspernatur.* (3.) Si ad-
junctum habet verbum Substanti-
vum, eleganter pro præpositionibus
Secundum & Pro, adhibetur, ut: *Incultæ
meæ orationi, quæ tua est humanitas, facile ignoscet.*
(4.) Si cum alia Sententia parenthesi
intercluditur, inter Nomen & Ver-
bum elegantissimè collocatur, ut: *Ami-
citia (quam multis declarasti beneficiis) facit, ut
meam tibi operam nunquam sim denegaturus.* (5.)
Cum verbo Nescio venustè jungitur,

D;

ut:

ut: Vidi ante ædes Adolescentem, nescio quem. qui te conventum expebat. Qualem fuisse Athenis Timonem, nescio quem, accepimus. (6.) Post

particulas: Si, Ne, Num, Cum, Nisi, elegantius ponitur, quàm Aliquid, ut: Si quem adeptus es honorem. Ne quem lædas. Num quis horum miser hodiè? Cum quis te docet, disce. Nisi quis amicorum suppetias tulerit, actum de me est.

95. Repetitio crebrior unius v. Syllabæ, v. soni, v. dictionis in eadem Sententia & cum, & sine conjunctione fœcundam & vehementem facit orationem, ut: Nihil est, crede mihi, virtute formosius, nihil pulchrius, nihil amabilius. Abiit, excessit, evasit, erupit. Me & colit, & observat, & diligit.

S.

96. Si & Nisi venustius in orationis medio, quàm principio collocantur,

ut: Id si feceris, erit mihi vehementer gratum. Amantem te nisi ames, spera fore, ut ab eo contemnaris.

97. Subiunctivi modi tempora haud ille-

illepide pro Indicativi temporibus ponuntur, ut: Tu ipse velim iudices. Pergratum mihi feceris. Dixerim te esse nequam.

98. Substantiva Nomina ab Adjectivis facta, Adjectivorum loco venustè dicuntur, ut: Hominis ingratitude nihil pejus. Brevitas tuarum literarum facit. Paucitas Oratorum fuit. Benevolentia tua magnitudo me delectat.

Nota: Ex adjectivis etiam duobus alterum in hoc genus nomē Substantivum eleganter mutatur, ut: Docta literarum tuarum facilitas elegansquè venustas admirabilis est.

99. Substantiva hæc: Verbis, Vocibus, Viâ, Tempore, sæpè omittuntur propter hæc adjectiva: Paucis, Multis, Pluribus, Clarâ, Rectâ, Brevi, &c. ut: Paucis disseram. Dicam pluribus. Complectar brevi. Hoc iter it rectâ Brundisium, quod brevi conficies.

100. Superlativo ejusdem nominis Comparativus Superlativi significationem

tionem quodammodo augens, elegantius postponitur, ut: Mihi charissimus es, esses tamen charior, si ad me scriberes.

101. Susq; deq; habere elegantius dicitur, quàm Nihil curare, ut: Pompejus Sermones tuos susq; deq; habet. Pravi perperam agere susq; deq; habent.

T.

102. Talis ut benè quidem dicitur, melius tamen Is qui, vel Hic qui, ut: Præsta te eum, qui mihi à teneris unguiculis es cognitus. Non video te hunc esse, qui heri eras.

103. Tantum abest Orationi elegantia adfert plurimum. Postulat autem verbum Subjunctivi modi, particulâ ut præpositâ, cui alius sermo, qui contrariae sententia fit, cum particula eadem subicitur, ut: Tantum abest, ut amici oburgatione offendar, ut ea mihi jucundissima sit. Tantum abest, ut scribi contra nos nolimus, ut id etiam maximè optemus.

104. Tantisper dùm elegantius ponitur in ora-

inatione, quàm Tam diu, donec, ut: Tantisper ipse discas, dùm docere alios possis. Ego te meum dici tantisper volo, dùm quod te dignum est facis.

105. Tùm geminatur eleganter, quando duo, quæ paria sunt dicuntur; si imparia, præponendum id, quod minoris momenti est, efferendumque per Cùm, gravius verò per Tùm postponendum. Si tria sint paria, jungatur secundo tertium per conjunctionem copulativam, ut: Tùm optimis moribus, tùm eruditione eximiâ præditus Adolescens. Cùm propter beneficia in me tua, tùm maximè propter virtutem tuam mihi dilectus es. Cùm literis, tùm muneribus ac officiis crescit amicitia.

U.

106. Varietas multum veneris orationi conciliat, ut: Contemnendæ sunt humanæ res, negligenda mors est, patibiles & labores & dolores putandi. Philosophia medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatem liberat, pellit timores.

E

Ubi

107. Ubi ubi sequente Tamen vel Certè
venustius adhibetur, quàm Ubicunquè
107: Ubi ubi erit, tamen intellig. bo cum. Ubi ubi
er, animus certè in te est.

108. Vel pro Etiam, venustè adjungi-
tur superlativis, Nominibus, Adver-
biis, nonnunquam & aliis vocabulis,
108: Literæ mihi tuæ gaudio vel maximo fuerunt.
Sermonem præstamus vel maxime feris. Per me vel
fertas licet, non modo quiescas.

109. Verba periodum elegantius
claudunt, quàm aliæ partes Oratio-
nis, ut: Non procacitate lingvæ vitæ sordes e-
luuntur.

110. Verbum Substantivum Sum, es,
est, &c. à præteritis verborum Passivo-
rum, Deponentium & communium,
per interpositionem aliarum vocum
elegantè se jungitur, ut: In Republica
sum pariter cum Repub. resitutus. Nonis Aprilibus
mihi est Senatus assensus.

III. Verbum Possim sæpius cum Infi-
nitivo Passivo, rarius cum Activo
jun-

jungitur, nisi in primis & secundis
personis, ut: Res ea citius nuntiari non potuit.
Insidiatori verò quæ potest inferri injusta nex?

112. Verbum Impersonale activum
cum Infinitivo Passivo collocari de-
bet, ut: Doctrinis ante excoli animos, & ad sa-
pientiam concipiendam imbui & præparari dece-
t. Amicorum negotia perinde ac sua curari oportet.

113. Verbo Impersonali eruditè uti-
mur, cum generalis Sermo est, ut:
In Nuptiis prandetur, cœnatur, canitur, luditur;
Rectius dico, quàm: prandent, cœnant, &c.

114. Verba Activa duo, vel plura,
uni Nominativo per Conjunctionem
addita, abjectâ copulâ concinnè in
Participia aut Gerundia mutantur.
Sic incultum hunc sermonem: Cicero à
primis annis Oratoriæ facultati vacavit, multos elo-
quentiæ patrocinio servavit, & incredibili suavitate
peroravit; concinnum reddes h. m. Ci-
cero à primis annis Oratoriæ facultati vacans, mul-
tos eloquentiæ patrocinio servavit, incredibili sva-

E a vita

vitate perorando. Sic venustius dicis: Laudatos parentes honora; quàm: Lauda & honora parentes.

115. Verba Frequentativa pro Perfectis usurpata Orationem venustat, ut: Propè me sessitabat Ignatius. Amici literis non responditavi. Cùm his temporibus in Senatum ventitarem.

116. Verba in Sco exeuntia Speciei derivativæ pro Primitivis non inusitatè dicuntur, ut: Amicitia officiis juvenescit. Voluptas citò evanescit. In principiis dicendi exalbescit, & totâ mente contremiscit.

117. Verbum præsentis, præteriti & futuri Temporis, in formulis Relativum Qui, quæ, quod, habentibus, omisso Relativo, venustè in Participium ejusdem temporis mutatur. Sic ornatius dico: Amantem te redama; quàm: eum qui te amat. Ornatius item: Quære divitias semper duraturas; quàm: quæ semper duræt.

118. Verbum modi Subjunctivi in per-

persona secunda Singularis Numeri venustè ponitur, cùm Sermo generalis est, ut: Ea est amicitiae svavitas, ut eâ svavius nihil excogitare queas: i. e. nullus, quicumq; sit, queat. Contra hostes armis opus est, quibus testus esse possis, i. e. omnis, quicumq; sit, possit.

119. Verbum Licet & Est cum Infinitivo eleganter ponitur, cùm sermo est generalis, ut: Audire licet, quàm frequens sim laudum tuarum buccinator. Animadvertere est, quanta ex literis quæri possit utilitas.

120. Verba Jubeo & Impero Infinitivum activum rarò, passivum propè semper adjunctum habent, ut: Accersi jubeo. Impero observari. Portari jubeo. Utrumque jussit interfici.

121. Verba Volo, Nolo, Malo, nec non alia quædam sæpius Infinitivum passivum, quàm activum juxta se habent, ut: Pluribus nominibus unam rem declarari volo. Damnum suscipi nolo. Abs te virtutem, quàm divas parari malo.

122. Verbis Curo, Nolo, Volo, Malo, Cupio
E; & O;

& Oportet elegantius additur Participium temporis praeteriti, quam Infinitivus activus, ut: Sed etiam est, paucis quod vos monitos esse voluerim. Sunt, qui volunt te conventum. Adversarios servatos magis, quam perditos cupiunt.

123. Verbis Curo & Loco Participium futuri in Dus elegantius additur, quam Infinitivus activus, ut: Funus ei satis amplum faciendum curavi. Negotium consiciendum cures. Annulum signatorium ei faciendum locavi.

Nota: Pro Participio venustè etiam addi potest Infinitivus passivus, ut: Negotium confici cures.

124. Verbum Precor aut Rogo habens sibi verbum Subjunctivi modi per particulam Ut junctum, ornarius in Quæso, verbum additum, abjectâ Ut particulâ, venustè in Imperativum mutatur. Sic venustius dicis: Attende quæso, fac quæso, quàm: Rogo te, ut attendas: Precor, ut hoc facias.

125. Ver-

125. Verbum modi Conjunctivi post verba: Necessè est, Oportet, Volo, Nolo, Malo, Peto, Rogo, Precor, sine particula Ut elegantissimè ponitur, ut: Amicum bonum qui nactus est, voluptate afficiatur necessè est. Hominem occidat, oportet, qui vestrâ operâ uti volet. Malo vanias, quàm scribas. Nolim me jocari putes.

126. Verbum modi Conjunctivi post verba Suadeo, Censeo, Caveo, Facio & similia, omisâ particulâ Quod vel Ut, vel Ne, venustè collocatur, ut: Tre viros vites censeo. Æternam tibi quæras gloriam svadeo! Cave festines, aut committas ut æger naviges. Fac me semper ames.

127. Verbum Pati pro Permittere, aut Concedere positum multùm habet gratiæ, ut: Injuriam amico fieri non patiar. Patrem inediâ mori passus est. reprehendi me à cæteris facile patiebar.

128. Verbum Negare elegantius ponitur, quàm illud vulgò usitatum, Dicere quòd non. Sic venustius dicitur: Negat Epi-

Epicurus jucundè posse vivi; quàm: Epicurus dicit, quòd non possit jucundè vivi.

129. Vix ac ne vix quidem, in summâ dubitatione eleganter dicitur, ut: Vix ac ne vix quidem extremis labris attingit Logicam.

130. Vocativus post Pronomen, cum aliarum, tum secundæ personæ, melius, quàm in Orationis fronte collocatur, ut: Eò magis est tibi, Cotta, & tibi, Sulpiti vigilandum. Te, mi Cornifici, rogo. Cupio jam vigiliam meam, Brute, tibi tradere.

131. Usque ad, & usq; ab vel à, his modis apud probatos Autores invenitur, Usquè ad palatium; Adusquè palatium: Usq; palatium: Ad palatium: Ad palatium usquè. Idemquè; Usquè à palatio: Abusq; palatio. A palatio.

Nota: Quintilianus etiam Inusquè dixit, ut: In proverbium usq; celebratum est.

132. Ut cum verbo Subjunctivo (non verò Quòd) sequi debet (1.) has voces: Adeò, Ita, Sic, Tam, Tantus, Talis, Tot, & similes,

les, ut: Adeò potat, ut equo similior sit, quàm homini. Talis est vicinus tuus, verbis ut describi satis nequeat. (2.) Post verba Rogandi, Petendi, Jubendi; post Facio, cum Compositis, Fio, Volo, Curo, Laboro, Timeo, Metuo, Vereor, & similia; Item post verba Necessitatis & Utilitatis, ut: Rogo, Oro, Obsecro, ut mihi parcas. Pater petit, jubet, suadet, imperat, consulit, ut negotium, nullâ interpositâ morâ, conficias.

133. Ut, post verba Timendi significat negativè, Ne affirmativè, ut: Vereor, ut ut hoc faciat: i. e. non arbitror ipsum hoc facturû; Timeo, ne abeat: i. e. fieri potest, ut abeat.

134. Utinam atquè iterum utinam, in ardentissimis votis ornatè adhibetur, ut: Quod utinam, iterum autem utinam, tuo tamen commodo.

Ut pote vide Quia.

135. Ut quisquè, pro Secundum quod quisquè elegantius ponitur, ut: Ut quisq; sentit, ita loquatur,

Nota: Pro ut quisquè cum suo Ita bene

benè collocari possunt duo Superlativi, tam Nominales, quàm Adverbiales, ut: Maximè quisq; dives à literis abhorret maximè.

136. Utur sequente Tamen vel Certè non invenustè adhibetur pro Quamvis, ut: Utur est, non ibo tamen. Utur erant alia, illi certè consuleres, quæ nunc domi tuæ est.

SOLI DEO GLORIA.

AD COMPLENDAS RELI-
quas pagellas placuit huc appo-
nere qualemcunq; conficiendarum Perio-
dorum manuuctionem, excerptam
è Moguntinis.

1. **P**ERIODUS est oratio, quæ principi-
um & finem ex se habet, & eam interjectam
magnitudinem, quæ facillè oculis perlustrari queat.

2. Tria ergò hic attenduntur: (1.) initium. (2.)
finis, quia periodus sententiam inchoare debet atq;
absolvere. (3.) spatium interjectum, quod tam ju-
stum sit, ut & respirationem dicentis juvet, nec aurè
audientis vel longiorè ambitu obruat, vel breviorè
fallat, ac relinquat.

3. Por-

3. Porro periodum duo ingrediuntur: Membra,
& Incisa.

4. Membrum est pars periodi: Incisum est pars
membri; nisi fortè aliquando divellantur.

5. Hinc aliud est incisum, aliud membratim, aliud
periodicè dicere.

6. Incisum dicit is, qui incisa i. e. plura distincta
verba, in exprimendis sententiis adhibet. Sic Cic.
post reditum n. 13. Cum hoc homine, aut cum Scri-
pite, Æthiope, si in foro constitisset, nihil crederes
interesse. Sine sensu, sine sapore, elinguem, tardum,
inhumanum, neglectum Capadocem, modò abreptū
de grege venalium diceres. Idem domi, quàm libi-
dinofus? quàm impurus? quàm intemperans?

7. Membratim dicit is, qui membra adhibet solu-
ta ac libera, & quasi in singulis iis consistere facit ora-
tionem. Sic Cic. in Pison. n. 56. Cum extinguebas
Senatum, vendebas auctoritatem hujus ordinis, addi-
cebas Tribuno plebis consularum tuum, Rempubl.
evertebas, prodebas caput & salutem meam unâ mer-
cede Provinciæ. Hic nota (1.) quòd, utur hæc ora-
tio perfectum aliquando sensum habeat, is tamen non
ita absolutus sit, ut auditor in eo conquiescat, sed
quædam sequentia adhuc requiratur. Nota (2.) quòd
optimè miscantur quandoquè membra cum incisum.
Sic Cic. pro Arch. n. 16. Hæc studia adolescentiam
alunt, senectutem oblectant, secundas res ornant, ad-
versis perfrugium ac solatium præbent, delectant do-

f 2

mi,

mi, non impediunt foris, pernoctant nobiscum, peregrinantur, rusticantur.

8. Periodicè dicit is, qui in orbem quasi includit orationem, adeò, ut ea, nisi perfectâ absolutâq; Sententiâ, non conquiescat. Sic Cic. de Provinc. Consf. Si quis vestrum expectat, quas sim provincias decreturus, cõsideret ipse secum, qui mihi homines, ex provinciis potissimùm detrahendi sint: non dubitabit, quid me sentire conveniat, cum, quid mihi sentire necesse sit, cogitârit.

9. Est verò Periodus alia Bimembris, alia Trimembris, alia Quadrata.

10. Bimembris est, quæ duo membra continet, estquè brevissima. Sic Cic. 1. de Orat. n. 31. Quid tam est admirabile, quàm ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus naturâ sit datum, vel solus, vel cum paucis facere possit?

11. Trimembris est quæ tria membra continet, & in apodosi duas partes habet, vel in protasi. Sic Cic. pro Quint. n. 16. Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitus colitur: (Protasis) Necessè est iste, qui amicum, socium, affinem, famâ & fortunis spoliare conatus est, (Prior pars apodosi) Vanum se, & perfidiosum, & impium esse fateatur.

12. Quadrata est, quæ quatuor membris constat, quorum duo priora protaseos vicem gerunt, apodoseos posteriora, quòd scil. ad comprehensionem necessaria sit redditio quædam, & propositio, quæ in se mutuò

mutuò redeant. Vid. Exord. pro Cæcinnâ. Si quantum &c.

13. Artificium periodi in dispositione apta consistit, quæ ut efficiatur, habenda est ratio (1.) Verborum. (2.) Partium. (3.) Numeri. (4.) Ornatis.

14. Verba (1.) vi significantiorè, in exponendis explicandisq; Sententiis sint prædita. Sic major est vis in voce Sacrilegus, quàm in voce Fur. Vid. Orat. Extemp. Beck. p. m. 127. (2.) cum rerû opportunitate conveniant. Sic de aqua celeriter fluente convenienter dico: Per immensas camporum declivitates fluit unda volubilis, elabiturq; longissimè, (3.) Amplum sonum habeant: quorsum conferunt plures hypotheses ad unam thesin revocatæ. Vid. Cic. pro Sylla n. 26. (4.) Occurrant negligentia & rusticitati. (5.) Auditorum voluptati serviant. His observatis plana fiet elocutio, de qua confer Oratorè Extemp. p. m. 126.

15. Partes faciunt vel ad dilatationem, vel ad contractionem periodi. Dilatatur periodus in plura membra (1.) Epithetorum conglobatione. Vid. Cic. pro Milone n. 31. ubi curiam appellat templum Sanctitatis, amplitudinis, mentis, consilii publici, caput urbis, aram Sociorum, portum omnium gentium, &c. (2.) Partium alicujus totius enumeratione. Vid. Cic. pro Lege Manil. n. 40. (3.) Rerum per auxesin amplificatione. Vid. Cic. 3. in Verr. n. 9. (4.) Adjunctorum enumeratione. (5.) Cau-

farum, quæ unum effectum declarant, conglobatione, & vice versâ. Conf. Orat. Extemp. pag. m. 6.7--31.

Contrahitur periodus subsidio quarundam particularum; & quidem (1.) Comparativarum; tantum, quantum; prout, ita, &c. (2.) Distributivarum: Et, &; cum, tum, &c. (3.) Dubitativarum & interrogativarum: Utrum, an. Num, anverò. (4.) Disjunctivarum: Sive, aut, vel, &c. (5.) Optativarum: Utinam, cum redditione, Nunc verò. Vid. Cic. pro lege Man. n. 27. (6.) Relativarum; Qui, quæ, quod. Vid. ibid. n. 28. (7.) Oppositarum; Non, sed; Non solum, verum etiam &c.

16. Numeri elegantem juncturam in periodis faciunt; Id quod fit potissimum observatione, partim quantitatum in vocibus, partim certi numeri in Syllabis, partim denique aptæ vocum collocationis, ut sciamus videlicet, qui pedes in principiis, qui in clausulis, qui in medio collocandi.

17. Pedes principiis apti sunt Dactylus cum Spondæo: $\text{— } \text{○ } \text{○ } \text{— } \text{—}$: Jambus cum Spondæo: $\text{○ } \text{— } \text{—}$
 Tribraclus cum Spondæo, aut Jambo: $\text{○ } \text{○ } \text{○}$
 &c.

18. In clausulis aptè adhibentur Distrochæus: $\text{— } \text{○ } \text{— } \text{○}$: Trochæus & Molossus: $\text{— } \text{○ } \text{— } \text{— } \text{—}$:
 Tribraclus & Spondæus: $\text{○ } \text{○ } \text{○ } \text{— } \text{—}$: Dactylus cum Dispondæo: $\text{— } \text{○ } \text{○ } \text{— } \text{— } \text{—}$: &c.

19. In medio pedes ad res accommodentur, v. g. Si rem exiguam exprimamus, Dactylus aptus est: Si festi-

festinemus, & irascamur, Jambus frequentatus: Si crimen describamus, Anapæstus, Trochæus, Spondæus. Verbo: Medium venuste ornabimus, si verba extrema cum consequentibus ita junxerimus, ut nequè asperè concurrant, nequè vastius diducantur. Conf. hic Orat. Extempor. Beckeri, pag. m. 128.

20. Ornatus periodi fit potissimum per crebram Metaphoram, Epizeuxin, Epistrophem. Item per similitudines & acutè dicta. De istis vide eundem, pag. m. 36. seqq.

21. Periodi duplici inter se nectuntur artificio:

22. Primum est crebra sententiæ variatio, ut scilicet Orator magna varietate Sententiam exprimat: quod facile assequetur beneficio Figurarum Rhetoricarum, & mutatione casuum; multis n. modis immutari potest eadem sententia. Sic v. g. hæc: Eloquentia plurimum valet; variatur per Genitivum h. m. Magna profectò vis est eloquentiæ. Per Dativum h. m. Eloquentiæ vis nulla deest, nulla facultas. Per Accusativum h. m. Eloquentiam nemo nescit, plurimum posse, & in liberis hominum mentibus dominari. Per Ablativum h. m. Hominum mentes pro lubitu moveri possunt eloquentiâ. Confer hic Conradi Instit. Rhet. circa fin. de variat. Sent. per Tropos & Figuras.

23. Alterum est Formularum copia, ut scilicet Orator communes quasdam transitiones & nectandarum periodorum formulas ex Oratoribus colligat, & revocet in usum, quoties ad scribendum accedit.

Fieri solent per Apostrophen, Exclamationem, Epizeuxin, Concessionem, Gradationem, Comparationem, Interrogationem, Communicationem, Addubitationem, & per Exempla.

24. Hinc patet, usum Periodi in eo consistere, ut Orator Sententiam, quæ unico verbo concludi potest, in plura membra dividere, aptèq; distribuere, iterumquæ membra pluribus incisus augere queat. Esto hæc Sententia fusius dilatanda: *Justicia laudabilis virtus atquæ fructuosa.*

Primò, unico membro numerofo coërcetur, h. m. Omnibus in rebus justitiæ non solum dignitas, sed etiam utilitas est maxima.

Secundò, crescit uso membro, h. m. Ut dignitatem affert singularem justitia, ita præclaros fructus, & emolumenta in utramquæ partem tanta producit, ut vix accessio major ad illam fieri posse videatur.

Tertiò, funditur in trimembrem, h. m. Si tantum justitiæ tribueretur ab omnibus, quantum humano generi confert dignitatis & fructus, inter mortales nemo improbus, nemo haberetur injustus.

Deniquè, Quadrimembris erit h. m. Quamvis justitiæ cum utilitate tanta sit conjunctio, tanta necessitas, ut nihil utile futurum sit à justitia separatum, perindè tamen, jus ac æquitas negligitur à plerisque, ac si, eâ remotâ, prosperè beatèque viveretur.

Tantum!

